



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

Additio. Libertas provinciæ Burdegalensis confirmata est à Pontificibus Romanis; ut patet ex literis Eugenij tertij & Anastasij quarti, quæ nunc primùm eduntur. Libertas canonica reddita est ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

buerat ne quis Episcoporum, Abbatum, aliúve è clero donum episcopatus aut abbatia à Rege, Comite, aut quovis laico accipiat. Si verò laici per vim retinere tentarent, eos synodus excommunicat, & Ecclesias supponit interdicto. Hæc sunt verba canonis primi: *Decrevit sancta synodus ut nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel qualibet persona de clero accipiat de manu Regis vel Comitum vel cujuslibet laice persona donum episcopatus, abbacie, vel Ecclesie.* Infra: *Si verò laici, canonici decretis resistentes, Ecclesias violenter retinere presumpserint, ipsi excommunicentur.* Non solum autem Comes consensit adimi sibi auctoritate hujus canonis investituram spirituales, sed etiam retentionem Ecclesiarum. Has enim retineri receptum erat citra usumfructum reddituum, donec investitura temporalis concessa fuisset. Aliud dein Concilium in urbe Pictaviensi habitum est à Legatis ejusdem Papæ anno M C I X. in quo prohibitum est ne Clerici laicis præstarent homagium. Verum ea constitutio non excludit juramentum fidelitatis, ut supra ostensum est in capite XXI. hujus libri. Hæc sunt verba canonis Pictaviensis: *Vt Clerici nunquam alicui laico hominum facere presumant.*

IV. Dubitari ergo non potest quin earum prohibitiones in executionem missæ sint in Aquitania; quæ in Conciliis Romanis decreta, in Conciliis dein Pictaviensibus renovata fuerant præsentem & consentientem Duce Aquitaniæ. Itaque privilegium à Ludovico Grosso ejusque filio Francorum Regibus concessum provinciæ Burdegalensi, quo libertas canonica conceditur provinciæ, & nominatim libertas electionum, quo præterea necessitas homagij remittitur personis ecclesiasticis, & bona Episcoporum mortuorum servantur successoribus, ac patrimonia Ecclesiarum cathedralium & aliarum, cujuscunque tandem conditionis illa sint, tota integra conservari jubentur, privilegium inquam illud, ut superiores canones confirmat, ita obstat ne titulo Regaliæ introduci possit in eam provinciam consuetudo occupandi redditus Ecclesiarum vacantium, aut collationes Præbendarum tentari. Sed tamen nequaquam à lege eximit, quæ nondum reperta erat. Regestum Camerae Computorum, in quo provincia Burdegalensis inter eas recensetur quæ Regi non solvunt Regalia, interpretationem recipere posset, si ea unquam per soluta fuissent Duci Aquitaniæ. Sed jam docuimus ex arresto anni M C C L X V I I. in causâ Ecclesiæ Burdegalensis pronuntiatum fuisse secundum Capitulum adversus Regem An-

glia. Sed quod observatione dignum est in hoc loco, Rex Philippus Pulcher Ecclesiæ Pictaviensi restitui jussit anno M C C C V I. redditus ex bonis illius Ecclesiæ collectos sede vacante; ut constat ex eodem regesto, in quo leguntur hæc verba: *De Pictaviensi computatum fuit anno M C C C V I. Sed Rex per literas totum restitui jussit Episcopo.* Id autem factum est in consequentiam libertatis canonice qua jam inde à temporibus Ducum Aquitaniæ ea Ecclesia fruebatur; tamen Pictaviensis comitatus Anglis ademptus, regni Francorum Coronæ additus fuisset sub sancto Ludovico.

V. Dubitandum non est quin provincia quoque Auscitana, quæ alio nomine Vasconia dicebatur, quæque jam ab anno millesimo trigesimo secundo ad Duces Aquitaniæ pervenerat, iisdem canonibus Pictaviensium Conciliorum teneretur. Vnde sequitur ei quoque provinciæ indulgentiam esse libertatem canonicam à Ducibus Aquitaniæ, & à Ludovico Rege postea confirmatam, non secus ac libertatem provinciæ Burdegalensis. Quapropter nemini mirum videri debet quòd in eodem regesto camerae computorum provincia Auscitana in eodem immunitatis gradu collocata est cum Burdegalensi. Quò fit ut verisimile videatur Reges Angliæ ab ea quoque provincia non exegisse jus Regalium. Atque id eò magis probabile est quòd Reges Franciæ, postquam Aquitania ad corpus regni rediit, Ecclesiis illius provinciæ suam immunitatem conservaverunt.

#### A D D I T I O

STEPHANI BALUZII.

Dæ libertate provinciæ Burdegalensis, quamquam ea materia diligenter isthoc capite tractata fuerit, nonnulla tamen nobis dicenda incumbunt quæ descriptioni non officient illustissimi Archiepiscopi. Ea libertas, si vetera tempora repetamus, petenda videtur à beneficentia Regum Christianissimorum Ludovici Grossi ejusque filij Ludovici senioris, quorum Præcepta jam edita sunt. At in archivo Ecclesiæ Sarlatensis in Aquitania secunda extant Bullæ Eugenij tertij & Anastasij quarti Pontificum Romanorum, quibus eadem libertas confirmata est ad exemplum Innocentij secundi & Lucij secundi, qui ante Eugenium & Anastasium sederunt, quique ei Regum munificentia vim apostolicæ auctoritatis addiderant. Quoniam verò epistolæ illæ Eugenij & Anastasij nondum, quod sciam, evulgatæ sunt, visum est eas heic opportunissimo loco exhibere ex archivo Ecclesiæ Sarlatensis, ut dixi, descriptas, & mecum humanissimè communicatas ab amicissimo viro Armando Gerardo Canonico Sarlatensi, ecclesiasticæ antiquitatis peritissimo.



Nam quoad provinciam Aucitanam, jam adnotatum est in Additione ad caput x xv i. hujus libri libertatem canonicam ei redditam fuisse à Raimundo Comite Tolosano, non quidem universæ provincie, quæ ad eum non pertinebat, sed in ea illius parte quæ Raimundi imperio parebat. Rex tamen Angliæ Eduardus, qui Aquitaniæ quoque Dux erat, contendeat anno MCC LXXV. ad se pertinere usumfructum honorum episcopatum diæceseos Aquensis, sede vacante. Capitulum verò Aquense jus suum retinere conabatur; vimque ministrorum regionum repellere tentabat, asserendo id fieri contra libertatem ecclesiasticam. Verùm cum nihil promovere potuisset, jamque per triennium Ecclesia Aquensis ex ea occasione vacaret, Capitulum appellavit Regem Franciæ; quemadmodum supra usurpatum in simili causa vidimus à Capitulo Ecclesiæ Burdegalensis. Extant enim in quodam regesto Cameræ Computorum Parisiensium literæ Capituli Aquensis quæ id testantur, datæ ad Philippum tertium Regem Francorum, quas heic subjicere placuit.

## B V L L A

## E V G E N I I I I I.

**E**VGENIUS Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Gaufrido Burdegalensi Archiepiscopo ejusque suffraganeis, Episcopis videlicet Agennensi, Engolismensi, Xantonensi, Pictaviensi, Petragoricensi, & universis Abbatibus per eandem provinciam constitutis tam presentibus quam futuris in perpetuum, Privilegia quæ intuitu libertatis sacrosanctis Ecclesiis à Romanis Pontificibus vel catholicis Regibus conferuntur, nulla debent temeritate convelli, nulla temporum varietate turbari. Quemadmodum enim catholica mater Ecclesia in spiritualibus sine macula & ruga, multimoda virtutum fragrantia & nitore clarescit, ita in temporalibus nulli servituti, nulli mundanæ conditioni eam convenit subjacere. Quæ cum ita sint, libertatem ab illustribus viris Ludovico patre egregiæ recordationis & filio ejus Ludovico Francorum Regibus Ecclesiis Burdegalensis provincie collatam, eorumque privilegiis roboratam, nos prædecessorum nostrorum bonæ memoriæ Innocentij videlicet & Lucij Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, nostri favoris assertionem firmamus, & ratam & inconvulsam futuris temporibus observari præcipimus. Ut videlicet tam in Burdegalensi sede quam in aliis episcopalibus Ecclesiis vel abbatibus ejusdem provincie, in Episcoporum electionibus vel Abbatum canonicam habeatis libertatem, absque hominij, juramenti, seu etiam fidei per manus datæ obligatione. Porrò, quod à prædecessoribus nostris in generalibus est statutum Conciliis, res & bona & universa Burdegalensis Archiepiscopi & suffraganeorum Episcoporum vel Abbatum decedentium, successorum usibus illibata servari pariter & inconvulsa apostolica auctoritate decernimus. Adjicientes etiam ut omnes Ecclesiæ infra suprascriptam provinciam constitutæ prædia, possessiones, & universa ad ipsas pertinentia, secundum privilegia, justitias, & bonas consuetudines suas integra & inconvulsa possideant, atque, ut dictum est, in omnibus Ecclesiis earumque ministris & possessionibus vestris canonicam habeatis in omnibus libertatem. Salva se-

dis apostolicæ auctoritate. Nulli ergo hominum fas sit vos vel Ecclesias vestras super hac nostra constitutione temerè perturbare aut aliquam vobis exinde contrarietatem inferre. Si quis autem huic nostræ constitutioni ausu temerario contraire tentaverit, si non reatum suum congruè emendaverit, potestatis honorisque sui careat dignitate, & omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus indignationem incurrat, & excommunicationi subjaceat. Conservantes verò eorundem Apostolorum benedictionem & gratiam consequantur. Amen.

Ego Eugenius catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego Conradus Sabinensis Episcopus subscripsi.

Ego Albericus Hostiensis Episcopus S.

Ego Imarus Tusculanus Episcopus S.

Ego Guido Presbyter Cardinalis tit. S. Chrisogoni S.

Ego Hubaldus Presb. Card. tit. S. Prædix S.

Ego Guido Presb. Cardin. S. S. Laurentij & Damiani S.

Ego Iordanus Presb. Card. tit. S. Sufannæ S.

Ego Oddo Diaconus Card. S. Georgij ad velum aureum S.

Ego Guido Diac. Card. S. S. Cosmæ & Damiani S.

Ego Octavianus Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano S.

Ego Gregorius Diac. Card. S. Angeli S.

Datum Sutrij per manum Roberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarij, VII I. Kal. Maij, Indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCXLVI. pontificatus verò Domini Eugenij anno secundo.

## B V L L A

## A N A S T A S I I I V.

**A**NASTASIUS Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Gaufrido Burdegalensi Archiepiscopo, ejusque suffraganeis Episcopis Agennensi, Engolismensi, Xantonensi, Pictaviensi, Petragoricensi, & universis Abbatibus per eandem provinciam constitutis tam presentibus quam futuris in perpetuum. Quorundam aliqua Ecclesiarum conditionibus secularium virorum per catholicorum Principum provisionem eximitur, & grata ei conceditur libertate potiri, sanctæ Romanæ Ecclesiæ universorum Christi fidelium patri providendum imminet attentis & agendum quatenus quod ad honorem Dei & salutem Ecclesiæ suæ factum esse dignoscitur, taliter auctoritate apostolica roboretur ut non debeat Ecclesia Dei, quæ libertati reddita videbatur, per aliquorum malitiam recidivis denuo conditionibus aggravari. Quemadmodum enim catholica mater Ecclesia & c. nos prædecessorum nostrorum fe. me. Innocentij videlicet, Lucij, & Eugenij Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes & c. *Cetera ut in superiore.*

Ego Anastasius catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego Imarus Tusculanus Episcopus S.

Ego Cynthius Portuensis & sanctæ Rufinæ Episcopus S.



& Imperij Lib. VIII. Cap XXVIII. 455

Ego W. Presbyter Cardinalis tit. Calixti S.  
Ego Hubaldus Presb. Card. tit. S. Praxedis S.  
Ego Manfredus Presb. Card. tit. S. Sabinæ S.  
Ego Aribertus Presb. Card. tit. S. Anastasie S.  
Ego Iulius Presb. Card. tit. S. Marcelli S.  
Ego Rodolphus Diaconus Card. S. Lucie S.  
Ego Guido Diac. Card. S. Mariæ in Porticu S.  
Ego Oddo Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tullia-  
no S.

Datum Laterani per manum Rolandi sanctæ Roma-  
næ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarij,  
v. i. Kal. Maij, Indictione secunda, incarnationis  
dominicæ anno M C L I V. pontificatus verò Domi-  
ni Anastasij L V. Papæ anno primo.

EPISTOLA CAPITVLI AQVENSIS

AD REGEM

PHILIPPVM III.

EXCELLENTISSIMO suo Domino, & Ec-  
clesiæ brachio singulari, Domino Philippo Dei  
gratia Regi Francorum, Capitulum Aqvensis Eccle-  
siæ cathedralis in Vasconia, salutem cum debita re-  
verentia & honore. Non sine gravi cordis amaritu-  
dine dominationi vestræ cogimur intimare quòd præ-  
fatâ Ecclesiâ nostrâ jam ferè per triennium pastoris  
regimine destitutâ, Præpositi & Ballivi Seneschalli  
Regis Angliæ ibi pro tempore existentes, immo,  
quod est deterius, illorum Gasciferi fervientes, bo-  
na episcopalia Capituli ac aliarum Ecclesiarum de  
diocesi temporalia pro suæ voluntatis arbitrio diri-  
piunt & consumunt, invadentes Ecclesias & etiam  
infringentes, capientes Clericos, & diversa enor-  
mia committentes quæ non possemus per singula  
enarrare, contra libertates Ecclesiasticas venientes,  
& sententias Ecclesiæ totaliter contemnentes. Cùm  
igitur Dominus Amaneus de Pomeris Vicarius  
ejusdem Ecclesiæ sede vacante & nos ex dictis gra-  
vaminibus ad vestram duxerimus audientiam ap-  
pellandum, & bona ipsa vestræ dominationis præ-  
sidio submitendum, majestati vestræ regiæ humili-  
ter supplicamus quatinus eundem Vicarium, quem  
ad prosequendum prædicta coram vestra regia ma-  
jestate procuratorem nostrum constituimus, favo-  
rabiliter in suis petitionibus audiat, & eas justè  
ad exauditionis gratiam admittatis, taliter divino  
intuitu circa hoc vos habentes quòd honor sanctæ  
matris Ecclesiæ vestro mediante subsidio non valeat  
deperire; quia jam in nostris partibus princeps pro-  
vinciarum quasi facta est sub tributo. Bene & diu  
valeat vestra regia majestas. In quorum testimonium  
figillum nostrum præsentibus duximus apponen-  
dum. Datum Aquis die sabbathi post festum sancti  
Lucæ Evangelistæ anno Domini M C C L XX. quinto.

CAPVT XXVIII.

Synopsis.

I. Ergo fuerunt in Gallia nonnulli dynaste qui  
jure Regalia temporalis potiebantur quoad episcopa-  
tus. Reges tamen illud postea non adeo facile com-  
municaverunt; adeo ut etiam illud negaverint fra-

tribus suis. Probatum exemplo sancti Ludovici.

II. Probatum etiam ex Arresto lato anno 1272.  
adversus Petrum Comitem Alenconium in causa  
Episcopi Sagiensis. Unde constat Reges semper consue-  
visse retinere Regalia episcopatum, quando comitatus  
tradebant in appenagium.

I. **C**ONSTAT igitur ex adductis supe-  
rius exemplis fuisse aliquot dynastas  
in hoc regno qui jure Regaliæ temporalis  
potiebantur quoad episcopatus. Fatendum  
tamen est Reges, postquam illud explica-  
tum fuit, non adeo facile eam auctoritatem  
communicasse; adeo ut sanctus Ludovicus,  
cùm appenagij jure comitatus Andegaven-  
sem & Cenomanensem daret Carolo fratri  
suo, Regalia episcopatum retinuerit anno  
M C C X L V I I. ut testatur Ruzæus in prima  
parte suæ Præfationis §. XII.

II. Ego verò addam historiam eorun-  
dem temporum, quæ petitur ex arresto Par-  
lamenti Parisiensis lato anno M C C L X X I I.  
in controversia quæ erat inter Petrum Com-  
item Alenconium, Philippi tertij Regis  
fratrem, & Episcopum Sagiensem. Conten-  
debat Comes ad se pertinere jurisdictionem  
quæ vulgò \* Placidum spate appellatur, exer-  
cendam videlicet in terris ad Episcopum &  
ad Ecclesiam Sagiensem pertinentibus, at-  
que id quidem eam ob causam, quòd illa  
sitæ essent in comitatu Alenconio aliisque  
dominationibus sibi à fratre traditis appena-  
gij jure. Contrà, Episcopus aiebat Episco-  
pum & Ecclesiam Sagiensem nulli domino  
subjectos esse quàm Regi, cui soli Episcopus  
debebat juramentum fidelitatis. Addidit,  
Reges semper consuevisse retinere Regalia  
episcopatum, quando comitatus tradebant  
in appenagium. Dicitur itaque est in eodem  
arresto Episcopum & Ecclesiam Sagiensem  
Regi soli subesse. Tum prohibitum est Co-  
miti ne ullam jurisdictionem exerceret in  
eorum possessionibus. Equum tamen visum  
ut damnum illud beneficio Regis resarcire-  
tur. Hæc sunt verba arresti: *Episcopo Sagien-  
si è contrario proponente quòd dictus Comes su-  
per hoc non debebat audiri, cum ipse Episcopus  
& Ecclesia sua Domino Regi solum subessent, &  
pro Regali Ecclesia Sagiensis ipse Domino Regi  
soli unicam fidelitatem faceret, & cum Reges  
Francia in concessionibus terrarum & comitatuum  
Regalia episcopatum sibi retinere consueverint,  
voluit Dominus Rex dictum Episcopum & Eccle-  
siam Sagiensem sibi subesse soli.*

\* Le Plaid, de l'é-  
pis.

